



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 67. Cueva Cardinalis mortuus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

Sæcul. XVI. Christi millesimo quingentesimo septua-
 gesimo septimo; ceterum Thaddæus
 nonnisi quadraginta, & unum annum
 cum undecim mensibus vixerat.

§. LXVIII.

Bartholomæus de la Cueva mortuus.

Canon. p. 698
 Aubery hist.
 des Cardin.

Alter erat Bartholomæus de la Cueva natione Hispanus Francisci Fernandez Illustrissimi Ducis Alburquerfii, primariæ inter Hispanos nobilitatis viri, & Franciscæ de Toledo filius, qui die vigesima quarta Augusti Anno salutis nostræ millesimo quadringentesimo nonagesimo nono primam lucem aspexit, ac inter Majores, quibus pietas videbatur hæreditaria, omni virtutum genere a teneris excultus a Paulo III. ad Caroli V. Cæsaris preces die decima nona Decembris Anno post Virginis partum millesimo quingentesimo quadragesimo quarto Presbyter Cardinalis renuntiabatur, quando etiam Cordubensem Ecclesiam Cathedralem regendam suscepit, in qua administratione Diocesi lustrata, moribus emendatis, collapsa Ecclesiæ disciplina erecta, piis locis ædificatis, sublevatis egentium miseris ea, quæ pastoralis munus sunt, adeo implevit, ut ipsius Religio, pietas, liberalitas, prudentia, & indulgentia eniteret, ac Philippus Hispaniarum

ram Rex, cujus opera tam ipse, quam Carolus V. ejus pater in maximis rebus ad Regnorum gubernationem jam antea usi fuerunt, eundem post Ferdinandum Toletanum Albæ Ducem elegerit, ut Neapolitanam civitatem, ditionemque tanquam Prorex summa cum omnium rerum potestate gubernaret, ubi etiam Caroli V. Imperatoris funeri exequiis prorsus magnificis parentari curabat, Fratrem Hieronymo Seripando Ordinis Eremitani S. Augustini Archiepiscopo Salernitano, qui postea a Pio IV. Cardinalitia dignitate donatus fuit, in Cæsaris laudem perorante. Hic idem Cardinalis ab eodem Pontifice illis aggregabatur Cardinalibus, ex quibus selectis Congregatio pro Synodi Tridentinæ negotiis Romæ conflata erat, ubi etiam obiit trigesima Junii die anno ætatis suæ sexagesimo tertio, sepultusque est in Ecclesia Nationis Hispanicæ ad S. Jacobum: refert Aubertus, ossa illius in Hispaniam fuisse translata, & condita in prænobili sacello Monasterii S. Francisci de Cuellar in sepulcro Majorum suorum.

Tertius denique fuit Joannes Medicæus Florentinus, cujus tamen mortem jam in priori libro recensuimus.

Sæcul. XVI.
A.C. 1562.

Handwritten marginal notes in a cursive script, likely a library or archival stamp, partially legible as "Bibl. Hist. de la Cour de France".